



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. An hoc sit necessarium ad salutem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

110 TRACTATUS III.

ria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos. Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi hujus & prælia reservandos.

Quæst. 6. Est-ne necessarium ad salutem suscipere Sacramentum Confirmationis?

Catechif. Conc. De Sacram. Confir. S. 14. *Resp.* Ut habetur in Catechismo Concilii Tridentini. Illud in primis docendum est, hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam verò necessarium non est, à nemine tamen prætermitti debet: sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committatur: quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.

Can. Omnes. De Consecr. dist. 5. Hoc autem consonat Canoni ubi legitur: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum-sanctum ost Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur, quia cum Spiritus-sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.

D. Th. 3. p. q. 72. art. 1. ad 3. *Quare*, ut ait Divus Thomas: Sine Confirmatione potest esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti. Quæ etiam de causa in Canonibus pœnitentialibus in quintum præceptum habetur: Cum filius sine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Quæst. 7. Quomodo probari potest contra hæreticos, Confirmationem esse Sacramentum novæ legis?

Resp. Probatum primò ex his quæ leguntur